

### III. Amphibien.

99

Thlr.

to dorso interdum lineae plures, longitudinales, albiae, pellucentes. Cauda hemiolia. Habitus paulo gracilior quam antecedentis. — Primo intuitu haec varietas ita a propria Lac. variabili differre videtur, ut eam cum sequente var., L. veloci. Pall. It. prius pro distinctis speciebus habuerimus; nunc autem nobis sunt exemplaria, quae transitum harum specierum satis demonstrant. cf. Lichtenst. l. c. p. 142.

var.  $\gamma$ . n. L. velox. Pall. It. — L. cruenta. ejusd. et L. deserti. Lepech. -- vid. Lichtenst. l. c. p. 141.

Supra (in dorso) et in lateribus lineae novem longitudinales, albae, modo maculis albis interruptae (punctis nigris interdum appositis). Media harum linearum jam inter pedes anteriores vel etiam prius evanescit; et quatuor lineae dorsi in cauda post pedes posteriores confluunt. In utroque latere linea paenultima semper constat ex maculis albis. Pedes anteriores et posteriores supra pulcherrime albo-maculati. Aliquanto minor quam praecedens var.; caudae longitudo et habitus idem. — Pallas tantum 4 lineas dorsales et unam mediam mox evanescentem numeravit, et duplicem lateralem utrinque omisit, igitur L. veloci, quae caeterum in dorso cinerea est, solum quinque lineas attribuit. — Lepechin contra unam mediam dorsalem omisit, et utrinque unam lateralem adnumeravit, lateralem paenultimam in utroque latere non pro linea interrupta sed pro serie macularum albarum sumens; quapropter sex lineas affert. Praeterea L. deserti tantum differt colore supra magis nigro. — Si dorsum pulchre nigrum et lineae non interruptae sunt, et cauda infra colore coccineo notata est, habes L. cruentam. Pall. sive L. coccineam. Merr.

17. L. Pardalis. n. 5". — Aegyptus. . . . . B. 1

L. variabilis. Pall. Zoogr.

Lac. capite acutiusculo, squamis dorsi parvis laevibus, sq. caudae rhombicis supra carinatis, collari denticulato medio adnato in lateribus soluto ex scutis 10 — 12, seriebus scutorum abdominalium 10, poris femoralibus 18 — 22, in dorso lineis quatuor longitudinalibus albidis ubique interruptis per lineolas nigras transversas curvatas reticulatim ordinatas, pedibus supra albido maculatis.

Supra in omnibus partibus cinerea, infra albida. Interdum etiam adest in utroque latere una linea longitudinalis, albida. Cauda corporis longitudinem paululum excedit.

Pallas hanc speciem cum L. variabili confusit, habemus enim exemplar Sibiricum ab ipso nobis donatum, quod maxima affinitate cum L. veloci. Pall. gaudet. Praeterea eadem species nobis est e Hispania.